



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio Practica ...

Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

De SS. Missæ Sacrificio Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo - Unà
cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Præfatio Authoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48307](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48307)



P R Æ F A T I O
A V T H O R I S.



*Q*uod Fluviiis magno impetu ac velocitate ad mare velut nativum aquarum suarum fontem decurrentibus evenire quotidie cernimus, ut scilicet angustis à principio alveis conclusi, ipso suo progressu, aliorumque Fluminum accessione paulatim augeantur, & in amplissimos denique profundissimosque Amnes excrescant; hoc idem propemodum libello huic meo evenit. Prodierat scilicet & ipse anno hujus seculi septuagesimo, angusto alveo, id est, vix quatuor quaterniones complectens, sed, ubi paululum decurrere, plurimumque Lectorum manibus versari cepit, usque adeo variorum dubiorum & materiarum à variis propositorum accessione excrevit, ut ultra viginti nunc quartâ suâ editione quaterniones complectens dignus sit visus, qui separato ab aliis Instructionibus volumine ederetur, id, quod post tertiæ Editionis vix ante biennium vulgatæ Exemplaria distracta hoc demum anno perfectum est.

Ceterum quò major eidem Instructioni *Authoritas* concilietur, noverit benignus Lector, me nihil ferè ex proprio sensu allaturum, sed ex optimis quibusque, qui hac de materia scripserunt, *Authoribus* ea, quæ dixerò, selecturum, quales præcipuè sunt *Cæremoniale Episcoporum, Bartholomæus Gavantus, Claudius Arnau-*
dus

Præfatio Authoris.

us, Michael Bauldrius, Bartholomæus Corsettus, Paulus Maria Quarti, Georgius Polacchus, & similes, quorum aliqui, quia Romæ vixerunt, & insuper Congregationis S. Rituum Consultores extiterunt, merito magnam in hac materia auctoritatem habere debent. Quamvis neminem ita adstrictum velim his doctrinis, ut non potius adhorter ad consuetudines & Cereemonias in Ecclesia, cui quisque servit, legitimè introductas, studiosè observandas, quarum proinde si aliqua mihi occurrerint, non omittam earum suo loco mentionem facere.

Complectetur autem hæc Instructio sex potissimum partes, quarum prima ipsam Missæ definitionem & divisionem, & alia quædam ad eandem in genere spectatam pertinentia explicabit. Secunda Ritus in ipsa Celebratione observandos indicabit, & ita quidem, ut prius, quæ solemnæ & non solemnæ Missæ communia sunt, expositurus, subinde verò, quæ solemnæ propria sunt, cuius Titulo subjuncturus sim. Tertia, quæ à Ministris, Diacono & Subdiacono præcipuè in solemnæ Missa observari debent, declarabit; cum enim & hi sæpe Instructionem desiderent, neque tamen ad manum semper Missalia habeant; ex altera verò parte experientiâ compertum sit, memoriam non parùm adjuvari, si ea, quæ ad quodvis Officium pertinent, ab aliorum Officiorum functionibus separata sub unum aspectum ponantur, visum est omnino operæ pretium futurum, si Ritus ab ejusmodi Ministris in Missa observandi breviter, clarèque indicarentur. Quarta de Missis specialibus. Quinta de Processionibus & Benedictionibus, breviter tamen, cum pleraque circa has in Ritualibus Diæcesanis accuratè descripta habeantur, tractabit.

Præfatio Authoris.

bit. Sexta denique Ordinem Missæ Rubricas juxta
positas continentem, ideóque ad Ritus ipsos memoria fa-
ciliùs imprimendos peridoneum, cum ipsis etiam Notis
Musicis, ut Missalis loco servire queat, exhibebit.

Atque hic tandem præsentis opusculi scopus & di-
visio est; ad quem si tu quoque, Lector benevole, li-
bellum hunc perlegendo collimaveris, efficies, ut spero,
ut neque me scriptionis, neque te lectionis pœni-
teat. Fruere ergo labore meo, lege,
ac vale.



PARS I.